

GRANI LICINIANI

QVAE SVPERSVNT

EMENDATIOREM EDIDIT

PHILOLOGORVM BONNENSIVM HEPTAS



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. [illegible]LVIII

In demselben Verlage sind erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

Additamenta ad civitatis Platonicae libros X, Lipsiae A. MDCCCXXX. XXXI. XXXIII. editos a C. E. Chr. Schneidero. gr. 8. 1854. geh. 15 Ngr.
☞ Die Ausgabe des Platonischen Staats von Schneider, zu welcher diese Additamenta gehören, habe ich im Preise von 6¾ Thlr. auf 2 Thlr. herabgesetzt.

Alberti, Eduard, zur Dialektik des Platon. Vom Theaetet bis zum Parmenides. (Aus d. Suppl. z. d. Jahrb. f. Philol. besonders abgedr.) gr. 8. 1855. geh. 15 Ngr.

Alciphronis rhetoris epistolae cum adnotatione critica editae ab Augusto Meinekio. gr. 8. 1853. geh. 1⅓ Thlr.

Apollonii Argonautica. Emendavit, apparatum criticum et prolegomena adiecit R. Merkel. Scholia vetera e codice Laurentiano edidit **Henricus Keil.** gr. 8. 1854. geh. 5 Thlr.

Aristophanis Nubes edidit illustravit praefatus est W. S. Teuffel. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bambergeri, F., opuscula philologica maximam partem Aeschylea collegit F. G. Schneidewin. Praemissa est memoria F. Bambergeri a G. T. A. Kruegero conscripta. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.

Becker, Dr. Paul, die Herakleotische Halbinsel in archäologischer Beziehung behandelt. Mit zwei Karten. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bentley's, Dr. Rich., Abhandlungen über die Briefe des Phalaris, Themistocles, Socrates, Euripides und über die Fabeln des Aesop. Deutsch von **Woldemar Ribbeck,** Dr. gr. 8. 1857. geh 4 Thlr. 20 Ngr.

Bernstein, G. H., das heilige Evangelium des Johannes. Syrisch in Harklensischer Uebersetzung mit Vokalen und den Punkten Kuschoi und Rucoch nach einer Vaticanischen Handschrift nebst kritischen Anmerkungen. Gedruckt mit neuen syrischen Typen. gr. 8. 1853. geh. 2⅔ Thlr.

Bionis Smyrnaei Epitaphius Adonidis. Edidit Henricus Ludolfus Ahrens. 8. 1854. geh. 15 Ngr.

Boeckh, A., zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen. (Besonderer Abdr. aus den Suppl. d. Jahrb. f. Philol.) gr. 8. 1855. geh. 22½ Ngr.
—— —— epigraphisch-chronologische Studien. Zweiter Beitrag zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen. (Besonderer Abdr. a. d. II. Supplementband d. Jahrb. f. class. Philol.) gr. 8. 1857. geh. 1 Thlr. 3 Ngr.

Bredovius, F. I. C., quaestionum criticarum de dialecto Herodotea libri quattuor. gr. 8. 1846. geh. 2 Thlr.

Bucolicorum Graecorum Theocriti Bionis et Moschi reliquiae accedentibus incertorum idylliis edidit **Henricus Ludolfus Ahrens.** Tomus primus textum cum apparatu critico continens. gr. 8. 1855. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

Catonianae poesis reliquiae. Ex recensione Alfredi Fleckeiseni. gr. 8. 1854. geh. 6 Ngr.

Charisii artis grammaticae libri V, s. unter Grammatici Latini.

Comicorum Latinorum praeter Plautum et Terentium reliquiae. Recensuit Otto Ribbeck. gr. 8. 1855. geh. 3 Thlr.

Cornificí Rhetoricorum ad C. Herennium libri IIII. Recensuit et interpretatus est **C. L. Kayser.** gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Didascalia apostolorum Syriace. gr. 8. 1855. 4 Thlr.

Didymi Chalcenteri grammatici Alexandrini fragmenta quae supersunt. Collegit et disposuit **Mauricius Schmidt.** gr. 8. 1854. geh. 3 Thlr.

Dietsch, Rudolf, Versuch über Thukydides. gr. 8. 1856. geh. 12 Ngr.

Diomedis artis grammaticae libri III, s. unter Grammatici Latini.

Enianae poesis reliquiae. Recensuit Ioannes Vahlen. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.

Fischer, Maximilian Achilles, Gergovia. Zur Erläuterung von Caesar de bello Gallico VII 35—51. Mit Grundplan und Uebersichtskärtchen. (Aus d. Suppl. z. d. Jahrb. f. Philol. besonders abgedruckt.) gr. 8. 1855. geh. 12 Ngr.

Fleckeisen, Alfred, zur Kritik der altlateinischen Dichterfragmente bei Gellius. Sendschreiben an Dr. **Martin Hertz** in Berlin. gr. 8. 1854. geh. 9 Ngr.


Friederichs, Dr. K., Praxiteles und die Niobegruppe nebst Erklärung einiger Vasenbilder. Mit einer Kupfertafel. gr. 8. 1855. geh. 1 Thlr.

GRANI LICINIANI

QVAE SVPERSVNT

EMENDATIORA EDIDIT

PHILOLOGORVM BONNENSIVM HEPTAS



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

A. CIƆIƆCCCLVIII

FRIDERICO · RITSCHELIO

PRAECEPTORI · AMANTISSIMO
IVDICI · INTEGERRIMO
EXIGVVM · HOC · ARTIS · CRITICAE
SPECIMEN · VT · PROBETVR · OPTANT
DISCIPVLI · PIENTISSIMI

Grani Liciniani reliquias ex musei Britannici membranis ter scriptis resuscitatas tandem a Carolo Pertzio editas earumque exemplaria Bonnam delata esse ad nonas nouembres rumor increbrescit. expectatus summo cum desiderio libellus e Sosiorum tabernis certatim arripitur a philologis qui ad uada caerula Rheni his studiis uacamus: gustantur folia magnam partem Oedipo aliquo digna, conferuntur cum eis quae inde editor coniuncta Th. Mommseni et I. Bernaysii opera expiscatus erat, iterum iterumque leguntur. nosti enim L. B. philologorum gregem nouarum rerum esse studiosissimum et eam sibi quemque maxime prouinciam poscere in qua plurimum laureolae carpi posse uideatur. itaque quo quisque acrius incumbebat, eo magis mirari, obstupescere, subinde ridere eximiam Pertzii liberalitatem, qui lautissimas dapes tam non inuidisset aliis, ut sibi quasi frustula tantum uilissima seponeret. eo tempore cum forte fortuna aliquot amici una conuenissemus, de Granio qui in omnium animis erat sermo incidit. nam sic fere orsus aliquis 'Nouistisne' inquit 'quae noua portenta annalibus litterisque romanis hae membranae attulerunt? *Lupicinum Seuerum*, *duodecim milia contendisse Ioniam ire* (p. 32), *aliquot matronas e o d e m s o m n o monitas una eademque nocte d e d a p i b u s sacris praestitisse* (p. 33), iubente Sulla a Mithridate *Gallograecis Q. Oppium et M. Aquilium legatos* redditos esse (p. 40)?' Haec ille locutus simul omnium strepitu excipitur et ne solus sibi rem perspexisse uideatur, alius alio magis mirabilia profert. 'Euoluite Granium, animos attendite: num intellegitis illa p. XI *disicerant* = *dis i i cerant*, p. 33 *ne ul l i minor e m* XXXV *annorum in nauem conscendere l i c e r e t*, p. 38 *praeludium*, p. 41 *beneficiis suis al l i c e b a t?* egregium scriptorem nec sine neruis mollem qui dixerit *multis occisis*, *quibusdam aliis iugulatis* (p. 35)'. Itaque cum in eo uideremur consentire labori non pe-

percisse Pertzium, pepercisse ingenio, qui auctor horum sermonum fuerat sic pergens 'Quid uos' inquit 'nugas premitis? an ab operarum tritis uitiis eum uirum defendi necesse est, qui quam eleganti et a uolgari sensu remota si dis placet scientia polleat, subtilis eius de orthographia codicis disputatio uel sola abunde conprobat. iam non quid scripserit Pertzius, Granio quid tribuerit quaerite, sed quod et primum erat et difficillimum, quo modo membranas legerit. nimirum Licinianum, quem res *opus* esse *nostro corpore noscere* p. 32 dicentem facit, ne ipse quidem mentis sed corporis tantum oculis legit et cognouit. ita factum est ut ineptissima quaeque litterarum quadam sonique similitudine deceptus in ipsis schedis extare sibi persuaserit. quo enim modo orta putatis quae legitis p. 4 *iunctis cordibus*, p. 6 *petenti iungebat* de quo ipse p. 31 *immo uero 'non iungebat'*, p. 15 *periucis* quippe quod somniaret esse *περιοίκοις*? Deinde etiamsi inde a p. 3 usque ad 26 imaginem quandam codicis exhibere uoluit qua ceteri philologi quibus *οὐ πᾶσιν ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς* ad emendationem quasi codice ipso uteremur, adeo tamen sibi ipse placuit, ut suis sibique propriis coniecturis non tam corrumpere illas tabulas quam ornare sibi uideretur. quid enim caussae fuit cur p. 15^{a} 22 ederet ORA||..RES, cum primo se has litteras PA.||RES legisse p. 39 diceret? aut cur p. 13^{a} 20 AτuIX exhiberet et ACCITA se primo legisse tum demum recordaretur (p. 35), cum uerba *ac ita* illic latere suspicatus esset? igitur haud scio utro maiorem laudem Pertzius meruerit, emendandisne an legendis ac describendis membranis.' Quibus dictis cum omnes conticuissemus, ex amicis aliquis 'Tua me uerba' ait 'iam dicturum, quo nihil uobis quotquot estis iucundius fore acceptiusque sperabam, paene cohibebant. dicam tamen quod sentio, cum uel nunc idem sentiam. pro suis quisque uiribus quid possit in tanta litterarum obscuritate et incerta fide indagare periclitabitur, conueniemus, quae a singulis siue inuenta siue diuinata erunt perpendemus. ita cum simus septem numero philologi alio alium iuuante non deerunt quae aut bene aut probabiliter emendauerimus.' Quid multa? nemo iam fuit quin haec summo plausu probaret, factumque est ita ut ille proposuerat.

Iam uero quod editione repetendas curauimus ipsas Grani Liciniani reliquias, quamuis sint exigua quae ad eas restituendas

contulerimus, duae inprimis caussae fuerunt. primum quoniam ea tandem ratione tum quae certa existimaremus tum quae ab lectione atque emendatione inperfecta posteris curis relinqueremus, plane et plene explicari posse intellegebamus. tum quia incredibilis Pertzii siue ἀφυΐα siue ῥαθυμία non posse humanius castigari uidebatur. Quare uideant penes quos in hoc genere iudicium est, numquid intersit inter γραμματικοῦ ἀγραμμάτου annuam sedulitatem et uiginti dierum eam operam quae quantumuis tenuis a uirium mediocritate tamen uiam ac rationem artis sequatur certamque a disciplinae seueritate commendationem habitura esse uideatur. quodsi quaedam audacius correxisse non nullis uideamur, probe meminerint qualem sibi Pertzius ipse corrigendi licentiam sumpserit, ut scilicet ex litteris EROGARETUR (p. 7 ª 15) efficeret *efferretur*, *omnes Sullae metu Cinnae causam* ex OMNESEXULEsMETEL... || NAE CAUSAM (p. 15 ᵇ 4), plurima eiusdem generis.

Haec habeto de origine huiusce libelli. Relicuum praefandi munus tripertitum est de codice, de libro, de scriptore.

I. Autumno anni cIↃIↃCCCLII Georgius Henricus Pertzius uir longe celeberrimus Londini libros manu scriptos rerum germanicarum excutiens cum a Paulo Boettichero qui gallico nomine de Lagarde dici nunc mauolt linguae syriacae monumentis ibidem operam nauante de codice syriaco saeculi XI palimpsesto commonefactus esset, dispectis sola oculorum acie aliquot uerbis rerum romanarum scriptorem in membranis latere intellexit: alteraque peregrinatione londiniensi a. cIↃIↃCCCLV per mensis octobris partem in illo accuratius cognoscendo uersatus est. Namque is codex ex monasterio S. Mariae Deiparae quod in desertis Nitriae situm est cum aliis libris mss. circiter quingentis adlatus a. cIↃIↃCCCXXXXVII in museo britannico repositus est et indice 17212 signatus. constat autem foliis quadratae formae membraneis XIII, quae ad quaterniones X et XI integri olim codicis syriaci pertinebant, Ioannisque Chrysostomi quasdam homilias continet: quae grammatici latini fragmento litteris cursiuis quas uocant exarato superscriptae sunt; duarum enim paginarum hi extant indices *de uerbo* et *de aduerbio*. grammatici denique sub uerbis uestigia sat antiquae scripturae apparent, quae ad annales amplissimos (*Grani*) *Lici-*

niani pertinere quinque foliorum tituli docuerunt. XIII illa syriaci codicis folia ita iuncta erant, ut VIII priora integrum quaternionem efficerent, cuius tamen primum et tertium foliorum paria (f. I VIII et III VI) ab syrio Chrysostomi librario ita inuersa erant, ut historiae romanae ab inferiore margine legendae essent, folia VIIII et X eodem modo inuersa membranae continuatione cohaererent, relicua tria singula glutini tantum uinculo continerentur duodecimo item inuerso, tertio decimo syriaci solum libri particulam exhibente. Foliorum antiquissimos titulos G. H. Pertzius indagauit hosce

f. I r inferiore margine LICINIANI
folii VIII nullum indicem rimatus est
f. II uersi superiore margine LICINIANI

f. VII r	sup. m.	LIB. XXXV
f. III r	mg. infer.	LICINIANI
f. VI u	m. inf.	LIB. XXXV
f. IIII u	m. sup.	LICINIANI
f. V r	m. sup.	LIB. XXXVI
f. VIIII r	m. inf.	[GAI] GRANI LICINIANI
f. X u	m. inf.	LIB. XXVIII
f. XI r	m. sup.	LIB. XXVI uel XXVII
f. XII u	m. inf.	LIB. XXVIII

his indagatis et foliis VIII recto et I uerso itemque IIII uersi uocabulis aliquot descriptis Berolinum Pertzius redux — relicua enim persequi temporis angustiis cohibito non licuit — statim kalendis nouembribus ad academiam de inuento suo rettulit. insequenti anno Carolum Augustum Fridericum filium Londinum misit qui membranarum lectionem ad finem perduceret. qui kalendis martiis opus adgressurus non codicem sed singulas XIII schedas inuenit nouis numeris insignitas. etenim interea quo commodius membranae ter scriptae tractari possent, musei curatores non solum dissolui codicem, sed etiam litteras syriacas recentiores caute a bibliopego aqua ablui iusserant (cf. Pertzius p. 22). Qua re ut priorem foliorum ordinem restitueret, quos paginarum indices pater enotauerat adhibuit: et cum ipse iam in singulis schedis hos conspiceret

f. 1 nullum	f. 7 u LICINIANI
2 r LIB. XXXV	8 u LICINIANI
3 r LIB. XXXV	(9 palimpseston non est)
4 u LICINIANI	10 r LIB. XXVIII
5 u C. LICINIANI	11 r LIB. XXVI
6 u LICINIANI	12 r LIB. XXXVIII

f. 13 [u] LICINIANI

referendos esse ad pristini codicis folia numeros schedarum recentiores sibi persuasit hoc modo

COD. SYR. FOL.			NVM. REC.		COD. SYR. FOL.			NVM. REC.	
Iu	Ir	=	8u	8r	VIIr	VIIu	=	3r	3u
IIr	IIu	=	7r	7u	VIIIr	VIIIu	=	1r	1u
IIIu	IIIr	=	6r	6u	VIIIIu	VIIIIr	=	4u	4r
IIIIr	IIIIu	=	5r	5u	Xu	Xr	=	10r	10u
Vr	Vu	=	12r	12u	XIr	XIu	=	11r	11u
VIu	VIr	=	2r	2u	XIIu	XIIr	=	13r	13u

quae uerene an secus coniectauerit, postea disputabimus. interim pergamus in narratione. Carolus igitur Pertzius iam ad resuscitandas antiquissimas litteras ab utroque posteriore librario tanta cum diligentia cultello erasas, ut paucissimis locis exceptis nulla fere uestigia relinquerentur, ammonii sulphurati liquore utebatur, cuius ope primo temporis momento antiquissima scriptura reuocari, deinde grammatici uerba apparere solebant. atque is liquor exterioribus membranarum partibus et leuioribus satis aptus erat; ad interiores 'olim carni proximas' in quas iniquissime cultelli saeuierant quo minus efficacius adiumentum Giobertinum adhiberetur, prohibuit curatorum religio. impedimenta praeterea lectionis summa erant, quod et 'saepissime alterius [antiquissimae] manus uestigia religiose ab altera [grammatici] pressa sunt', ut utriusque distinctio esset difficilis, et pristinae litterae crassioribus syriacis apicibus obscuratae sunt. ad quae accedebat caeli londinensis natura qua euenisse Pertzius narrat, ut 'continuis fere imbribus nebulisque obrutus uel medio diei tempore ad lucernas confugeret' neque raro prorsus diuersos ab enotatis apices eisdem locis conspicere posteris diebus sibi uideretur. Ceterum in Liciniano solum occupatus grammatici latini fragmento in quo Iuuena-

lem et Martialem laudari ab Ed. Bondio audiit prorsus neglecto a. d. III id. iun. finem operi inposuit.

Pauca de codice pristino Liciniani addenda sunt: qui qualis fuisset quaerere Pertzius omisit. nam haec dictu uix opus sunt unam quamque paginam binis columnis, columnam uicenis quaternis uersibus contineri, foliis uersis scriptoris nomen, rectis libri numerum inscribi. Originem uero codicis qua est insignis liberalitate alteri p. Chr. n. saeculo ille adsignat: quod quo modo tueatur uiderit ipse. cui qui et codicis Liui puteanei saeculo VIII exarati[1]) meminerit et ambrosianarum Plauti membranarum relicuarumue quae quinto saeculo non sunt posteriores, fidem non habebit, sed codicem Liciniani neque uetustiorem saeculo quinto neque posteriorem octauo ilico iudicabit. toto enim caelo distant quae in codicibus uel quarti saeculi reperiuntur litterarum A D E H M V formae ab eis quas in scripturae exemplo Pertzianae editioni adiuncto conspicimus. nos Niebuhrio quoque grauissimo auctore usi qui Frontonis codicem bobiensem huic et litterarum formis compendiisque et orthographia simillimum ad VII saeculum referebat (ad Front. p. XXXV), septimo librum scriptum esse persuasum habemus. itaque etiam grammaticus liber quem quinto saeculo Liciniano super scriptum esse Pertzius existimat antiquitatis specie aliquantum se exuet atque ad nonum fere detrudetur. etenim V illum saeculo exaratum esse uel ideo parum habet probabilitatis, quod Martialis auctoritate uix ullus ante Priscianum grammaticus usus est.

Vt autem quem locum in pristino codice Liciniani laciniae londiuenses occupauerint indagare possimus, uideamus num syriaci codicis ordinem recte Pertzius adsecutus sit: qua in re ut breuitati studeamus, illius folia latinis numeris, singulas schedas quae Pertzio filio praesto fuerunt arabicis significabimus. Editor igitur schedam 12 esse f. V ratus, cum IIII (quod 5 esse intellexit) et V una membrana continuata essent, effecit ut eodem quaternione res gestas annis a. u. c. DLXXXXI et DCLXXVI scriptorem non nimiae ceteroqui breuitatis enarrasse statuendum sit. simile quiddam commisit scheda 4, quae ad annos DCLXXIII—V

1) Eius scripturae exemplum inuenies in Champollionis libri 'Paléographie des classiques Latins' (Par. 1839) tab. III.

pertinet, ad f. VIIII, scheda autem 10, ubi de anno DLXXXXII agitur, ad f. X relata. sed ut haec sint uera ad unumque quaternionem libri inde ab XXVIII usque ad XXXVI (immo XXXVIII uid. Pertzius p. 25) pertinuerint — nihil enim obstat quo minus tale monstrum codicis fingamus —, relicuas persequamur Pertzii rationes. foliorum VIII et I par ut supra diximus inuersum hoc olim ordine fuisse necesse est VIIIu VIIIr 1u Ir = 1r 1u 8r 8u: quorum unius paginae sede certo indagata relicuae quo ordine se exceperint, extra dubitationem positum est. cum autem f. 1r idem esse quod nunc 8u signatur ex coniunctis patris et filii (p. VII adnot.) testimoniis certissimum fiat, patet quam sibi C. Pertzius non constiterit hoc ordine positis paginis

f. VIIIr = 1r (p. 9)
VIIIu = 1u (p. 10)
1u = 8u (p. 11) immo 8r
Ir = 8r (p. 12) immo 8u.

Vna tamen difficultate quam statim expediam quaestio turbata est. etenim Pertzius pater cum indicem f. VIII dispicere initio non potuisset, postea ad describendum f. VIII cuius in altera pagina ne apex quidem comparuit adgressus in alterius paginae margine uestigia nominis LICINIANI conspicere sibi uisus est, cuius nullam litteram filius rimari potuit. quam paginam 1u eandem esse atque f. VIIIu tamquam ex patris schedis editor p. 10 referre uidetur. quod si uerum esset, Liciniani nomen oporteret in eo margine positum fuisse quo libri numerus adscribi debebat. quod ne animum induceremus credere cautum est. nam f. VIII *rectum* a patre descriptum esse Pertzius ipse praef. p. II testatur: qui in his tantis turbis id profecto ordine instituit, ut quibus errores sui corrigerentur ea insciens ipse adferret. ergo hic paginarum ordo est:

f. VIII u = 1r (p. 9) VIII r = 1u (p. 10)
1u = 8r (p. 11) 1r = 8u (p. 12).

Sed largiamur Pertzio, quod multum probabilitatis non habet, duo inter f. VIII u et I u intercidisse folia (praef. p. VIII), quid ita proficit? nascitur utrobique in quaternione quasi quaternio. sed quid quaternionem dicimus? plurimos quaterniones uastum illud antrum conplectetur. nam f. VI et III et natura et narrationis

tenore cohaerent, itemque f. VII et II: admirare igitur lepidam pristini codicis compositionem

fol. V X XII.......VIII A B I....VI III VII II..VIIII IIII
(de anno 591) (592) (592) (649). (649) (667) (668) (670) (673) (676)

nihil de his ultra: ipsi inquiramus denno. Dubitari nequit de loco schedarum quae nunc 8 5 1 sunt, quippe in quibus extent quae Pertzius pater de foliis syriaci codicis I IIII VIII descripserat. ex his solis uestigiis colligi debebat eum qui codicem dissoluisset numerosque inscripsisset, quia extremorum foliorum locus uideretur mutandus esse, ab octauo orsum relicua ex ordine numeris signasse, ita tamen ut exceptis foliis inuersis quorum alia ratio erat numeros in syriaci codicis foliis rectis notaret: quod qui accurate inspexerit ita esse cognoscet. iam f. VI et VII cum sola indicem LIB. XXXV in margine exhibeant, uides aut 2 et 3 ut uoluit Pertzius, aut 3 et 2 habita esse: quorum utrum praeferas in promptu est. f. II idem esse quod 7, et III quod 6, et Pertzius statuit et nos statuimus. restat igitur f. V cui cum schedam 12 respondere ille iudicasset, quantas turbas excitauerit diximus. nec e longinquo repetenda est quae ad f. V referatur scheda. namque ex temporum ratione solum scheda 4 (a. u. c. DCLXXIII—V) coniungi cum f. IIII = 5 (a. DCLXXVI) potest. sed obicies titulos. quid? si in recto f. V extare LIB. XXXVI Pertzius pater, in scheda 4 uersa LICINIANI filius testatus est? si in eisdem XI foliis in quibus VI librorum numeros pater, V filius rimatus est, quinquiens scriptoris nomen ille, sexiens hic se legisse dicit (cf. Pertzius p. VI sq.)? nam illud manifestum est quam egregie illa nostra de schedarum numeris coniectura, si f. V notatum est 4, confirmetur. Itaque ad relicua accedimus. de quibus certum est ultimum f. XIII atque 9, et f. XI atque 11 eadem esse: uides eandem quam in prioribus rationem, cum ante hos duos annos numeris insignirentur, in foliis VIIII—XIII obtinuisse. igitur quo minus f. XII et 10 eadem habeamus, cum utrique LIB. XXVIII inscribatur, nihil obstat. denique folia X et VIIII quam pulcre editor indagauerit cum uiderimus, id unum restat, ut nunc ea schedas 12 et 13 esse dicamus. quod enim

in f. XII margine inferiore G. H. Pertzius LIB. XXVIII, in scheda 12r 'XXXVIII' Carolus legit, alterum in errore positum est eo magis reiciendo quod, cuius iterum consulis (a. DLXXXXI) mentio fit f. 12r, Gracchus quid uno post anno (DLXXXXII) egerit, scriptor libro XXVIII (f. XII = 10) enarrat. et quo modo factum sit, ut f. VIIII r [GAI] GRANI LICINIANI pater, ibidem (sch. 13u) LICINIANI tantum filius legeret, iam hic ipse p. 22 explicare studuit. Quae si recte disputata sunt, hanc patet fuisse syriaci codicis descriptionem

fol.	I	II	III	IIII	V	VI	VII	VIII	VIIII	X	XI	XII	(XIII)
sched.	8	7	6	5	4	3	2	1	13	12	11	10	(9)

Sic satis uia munita promptus est ad antiquissimi codicis speciem coniectura adsequendam aditus. Membranae continuatione duae schedae ex libro XXVIII discerptae (X et VIIII) cohaerent: quae cum neque temporum interuallo —. uersantur enim in annis DLXXXXI et II — magno distineantur neque alteram altera excipiat narrationis continuatione, duo inter utramque intercidisse folia necesse est statuamus. ex eodem et quaternione et libro desumpta est scheda XII singularis qua de P. Lentulo cos. anni DLXXXXII traditur; quin ipsi folio VIIII adiunctam fuisse contendere cum confidentia licet. iam amplissimus intercedit hiatus. anno enim DCXXXXVIII quae acta sint, traditur foliis VIII et I: quae ita rerum similitudine coniuncta sunt, ut nisi quae in ipsis legi discernique nequeunt, nihil inter ea merito desiderari uideatur. id tantum iure ambigetur, prioremne an posteriorem locum f. VIII obtinuerit. illud Pertzius statuit, poteratque eo probare quod prodigia ante res gestas a scriptore narrata esse uiderentur. uerum tamen cum ex rerum natura magis sit consentaneum pugnae ad Arausionem commissae (f. I) audito nuntio 'quassam' ciuitatem et pro temporum iniquitate capta illa a Rutilio cos. consilia esse, quam haec secutam esse pugnam illam, nec obstet prodigiorum mentio quae infausti diei quasi uaticinia rebus ipsis adiungere scriptor non sine artis specie poterat, efficitur ut f. I collocandum esse ante VIII putemus. quod Mommseum quoque sensisse apparet ex hist. rom. uol. II p. 176 ed. alt. Secuntur quibus

res gestae annis DCLXVII et DCLXVIIII—X exponuntur, libri XXXV duo foliorum paria VII III VI II: inter quae totidem eiusdem quaternionis paginae quot extant interciderint necesse est. quae restant f. V et IIII eius quaternionis qui sequebatur illum de quo modo dictum est, uidentur fuisse tertium et sextum. neque enim quattuor paginis trium quattuorue annorum memoriam expedisse miramur eum qui f. V recto paene tres annos complexus est. Quas ob caussas sic fere ad antiquissimum codicem rediguntur quae supersunt schedae

			schedarum numeri recentes		paginae ed. Pertz.
I	fol. XI r XI u	=	11 r 11 u	=	p. 3 4
II quaternio libri XXVIII	A a				
	B b				
	X u X r	=	12 r 12 u	=	p. 25 26
	C c				
	D d				
	VIIII u VIIII r	=	13 r 13 u	=	p. 7 8
	XII u XII r	=	10 r 10 u	=	p. 5 6
	E e				
III quaternio libri XXXIII?	A a				
	B b				
	C c				
	I u I r	=	8 r 8 u	=	p. 11 12
	VIII u VIII r	=	1 r 1 u	=	p. 9 10
	D d				
	E e				
	F f				
IIII quaternio libri XXXV	VII r VII u	=	2 r 2 u	=	p. 13 14
	III u III r	=	6 r 6 u	=	p. 15 16
	A a				
	B b				
	C c				
	D d				
	VI u VI r	=	3 r 3 u	=	p. 17 18
	II r II u	=	7 r 7 u	=	p. 19 20

		schedarum numeri recentes	paginae ed. Pertz.
V quaternio libri XXXVI	Aa		
	Bb		
	Vr Vu	= 4r 4u	= p. 21 22
	Cc		
	Dd		
	IIIIr IIIIu	= 5r 5u	= p. 23 24
	Ee		
	Ff		

II. Ex eis quae disputauimus iam de Liciniani historiis coniectura capi potest. supersunt enim libri uigesimi octaui, supersunt trigesimi sexti reliquiae: quae cum in rebus gestis annorum DLXXXXI et DCLXXXVI uersentur, qui inter illos libri interciderunt, modo plus modo minus unusquisque VIIII uel X annorum spatium complexi uidentur esse. quod si quis in relicuos quoque libros res romanas similiter dispertitas fuisse ratus non ab urbe condita sed a regibus exactis orsum esse scriptorem coniciat eiusque opinionis in testimonium uocet quod libro demum XXVI de institutis Tarquinii Prisci breuiter explicatur (f. XI u), uereor ne alia omnia suadeat et ratio et consuetudo ueterum. neque uero ab incendio urbis a. CCCLXIIII, unde Claudius Quadrigarius initium fecit, Licinianus exorsus esse potest: nisi de eis temporibus quorum rarior extabat memoria longiorem eum fuisse quam de recentioribus existimaueris. Minus certum est de tempore ultra quod Liciniani historiae non processerint iudicium, sed ad ueri aliquam speciem adduci potest explorata scriptoris aetate. extant enim f. IIIIr de Crispi Sallusti historiis ea uerba, quae licet argumentis euinci nequeat, sentiamus tamen uix quemquam scribere potuisse quin tempori eius aequalis nouo illo et inusitato condendorum annalium genere dudum commotus esset. quam ob rem cum non multo post annum DCCXX — nam inter annum DCCXV et DCCXVIII et scripsisse et edidisse historias Sallustium Kritzius ad historiarum reliquias p. XIIII sq. probauit — Licinianum scripsisse probabile sit, ad Caesaris mortem libros ille produxisse uidetur. quod autem C. Pertzius edito Liui inmortali monumento Liciniani libros neque scribi neque euolgari potuisse p. XV statuit, tam subtili rationum

artificio euicit, ut quicumque per otii opportunitatem litterarum deliciis reficere sese solent, ipsi ut legant adhortemur.

Annales Liciniani libros editor non inmerito uocauit. uno enim annui cuiusque spatii uinculo copulauisse scriptor uidetur quae diuersissima genere et loco sine arte adnecti solent: miracula, res urbanae, italicae, externae. an f. V r ludis circensibus seditionem Volaterranorum interposita *et* particula putas cum arte necti? quamquam omnis fere in his reliquiis rerum uarietas aut ita coagmentari solet aut quasi cyclopia regula aptari. uerum apertissimum annalium signum Pertzius indagauit consulum nomina rebus eodem anno gestis praeposita 'quasi titulum', ueluti f. VIIIr de a. u. DCXXXXVIII '*Rutilius cos. collega Manili*'. eadem uerba Bernaysius et Mommsenus — nisi forte utrumque Pertzius praue intellexit — insiticia existimant. 'at iidem Grani opus annalium uice conditum fuisse libenter concedunt' clamat ille. quasi ullus umquam scriptor Romanus eiusdem anni consules simul memoraturus ita alterum alteri praetulisset. quasi porro antea portentis enumeratis opus esset, quam magistratuum nomina traderentur. quasi denique uerba 'ius iurandum a iunioribus exegit' nullo antea uiro nominato ad quem referri possent quisquam omnium tam sagax foret hariolus qui de senatu dicta esse perspiceret. ueniam igitur dabis locum paullo accuratius inspicientibus. Narrantur primo loco portenta Rutilio et Manlio cos. — non ut Pertzius uoluit a. DCXXXXVIII: cf. Iulius Obs. 42 p. 124 Iahn. — nuntiata, extremo quid primo aduentantium Cimbrorum metu factum sit. interponitur Manli exilium; inde ad Manli collegam Rutilium transitus fit. quid igitur? huncine an 'senatum' putabimus ius iurandum a iunioribus exegisse? nimirum Rutilium penes quem in Italia tunc erat imperium. itaque cum ille 'quasi titulus' ad uolgare enuntiati subiectum reuocatus sit, tum uero adnotationem margini adscriptam in Liciniani uerba foede inculcatam esse simul est patefactum '*hoc anno Pompeius natus est solus superre . ponit aeque adque Cicero*'. sed quid his faciemus? Ciceronem III non. ianuar., Pompeium pridie kal. octobres a. DCXXXXVIII natos esse omnes consentiunt auctores. constat XXIIII annos natum de Hiarba rege Pompeium triumphasse a. u. DCLXXIII: 'annos natum XXV' IIII idus mart. triumphasse Licinianus tradit f. V r. itaque ut sibi ipse con-

stiterit, hic a. DCXXXXVII natum Pompeium necesse est perhibuerit. atque hac re a ceteris fortasse omnibus scriptoribus discessit. itaque illa 'solus superre. ponit' intellegimus de Liciniano solo *superiore anno* i. e. DCXXXXVII Pompei natalem *ponente*, cum idem Ciceronem insequenti anno natum traderet, a librario adnotata esse. quae cum ad Q. Seruilium C. Atilium cos. pertinuissent, qui factum sit ut ad P. Rutilium Cn. Manlium cos. referrentur tamque inepte interponerentur, diuinandum sollertioris ingenii uiris relinquimus. En libri de cuius genere disputaturi eramus obliti iam in singulis uerbis haeremus. sed cum haerendi caussa sit grauissima, pertractemus illa. quid enim hoc loco Manli Caepionisque exilia? qui si L. Saturnini rogatione e ciuitate sunt eiecti, anno DCLI cum tribunus plebis ille esset damnati sunt. atqui de Manlio condemnato ita narratur quasi eadem antea de Caepione pluribus dicta fuerint. quod si factum erat, qui eiusdem iudicii mentio prodigiorum enumeratione potuit interrumpi? igitur mira et prorsus singulari librarii oscitantia locum turbatum esse statueremus oporteret, nisi id ipsum, ut Licinianus Saturnini rogationem narrationi pugnae biennio ante infeliciter commissae adiecisse crederetur, nullam ueri haberet similitudinem. ea enim est huius generis scriptorum ratio, ut potius praetermissa aptis locis posterioribus[1]), quam prioribus postea facta ponere soleant: neque enim uerba f. VI r^b 17 in alteram partem speramus prolatum iri. uidentur igitur duae fuisse adnotationes margini adscriptae de Caepione et de Manlio. sed ne hoc quidem ab omni parte probabile est. nullam enim caussam indagaueris, cur factum sit ut quae ad eandem pertinebant Saturnini rogationem, duobus locis non multum inter se distantibus seiungerentur. an tu ueri putas esse similius ea quibus suus paullo ante fuerat locus ad *Manli* nomen (^{b}10) adnotata esse, quam *collegam Manli* Rutilium ideo uocatum esse, quod modo de Manlio dictum erat? quare si is qui de Saturnini rogatione adnotauerat, idem Rutilium dixit Manli collegam, ille autem Licinianus fuisse nequit, intelleges quae iam nobis suspitio moueatur. quae ueremur ne in sententiam argumentis firmatam mutetur.

Praesto enim sunt quae certiores nos faciant multa. inspi-

1) Id factum est f. V r^a 23. VII r^a 10. XI u^b 3. XII r^a 2.

cias f. II r 'Is ipse Mithridates cum Sulla ... conpositis .... gratia P. R. reconciliata *Ariobardianen ut seruum respuit* in Pontum proficiscitur'. scriptor cum recensuisset pacis condiciones quas per Archelaum regi Sulla inposuerat, ipsius regis conloquium Dardani cum Sulla habitum his uerbis ita tetigit, ut de singulis nihil adderet. erat ex hoc genere illorum de Cappadociae regno dissensio: ad quam pertinere apparet uerba ineptissimo loco inculcata 'Ariobardianen — respuit'. quorum cum nullus usquam locus, qualis quidem hic Liciniani liber est, cogitari possit idoneus, intelleges eum qui haec scriberet uberiore fonte ita usum esse, ut modo quae placerent transcriberet inmutata, modo in breuius contraheret. nam ea tantum ratione, si quae breuitatis nimio studio praetermissa erant quae memoratu digna uiderentur, fieri potuit ut orationis filo temere interrupto intexerentur. Prorsus eodem modo orta sunt quae f. I r finitae de Scauro narrationi tamquam pannum adsuta legimus 'et nec ipsis petentibus ducem se tradere sustinuit uerecundia ut.... esset'. quae cum olim ut probaretur Scaurum 'nihil indignum uiro romano aut fecisse aut dixisse', narrata fuissent, uel memorata Scauri morte non sustinuit qui has historias excerpebat omittere hoc romanae uirtutis specimen addiditque illius suae quam nouimus particulae ope. eam enim quis tanto cum fructu[1]) in his reliquiis celebrauerit et cui rerum uarietatem tam concinne dispositam debeamus, iam non putamus obscurum esse. Quid quod etiam de tempore quo in compendium redacti uideantur Liciniani libri coniectura capi potest, si quidem recte emendauimus uerba f. IIII r *nam Sallustium non ut historicum scribunt sed ut oratorem legendum.* quae a Liciniano scribi non poterant, sed ab eo tantum qui Frontonem oratoresque illos cognosset qui ad Sallusti Crispi regulam uerba sua exigere solebant. neque enim uerba inde obsoleta solum, grauia, acute dicta eligebant, sed sententias quoque (cf. Fronto ad M. Caesarem III 11 p. 74 Rom.), morum notationes (cf. id. ad Antoninum II 6 p. 162 sq.), epistulas (cf. id. ad Verum 2 p. 178) et admirabantur et imitabantur. ita factum uidetur quod sagaciter coniecit Orellius, ut ora-

1) Cf. f. III u [b] 13 '*et* pestilentia uastatus exercitus' — III r [b] 7 '*et* copias Metellus — duxerat'. in primis aduertendus locus f. I u [a] 23 insignis etiam subiectorum mutatione non indicata.

tiones epistulaeque ex Crispi historiis ab illis excerptae ad haec tempora peruenerint. quod quidem monemus idcirco, quia haud scimus an ad Sallustium referenda sit, cuius nemo neque eloquentiam neque scriptas orationes testatur, M. Lepidi illa oratio, quam uerbis 'et extat oratio' f. IIII r[b] 17 editam esse et superstitem iudicatur. neque aliis eiusdem fere aetatis indiciis destituimur. nam ut monuit uir quidam et doctrina et beneuolentia erga nos insignis 'aedem Olympii Iouis atheniensem diu inperfectam permansisse' (f. X r) dicere non poterat nisi qui perfectam uidisset. atqui ab Hadriano demum susceptum denuo praeclarum opus et ad finem perductum est. Summa igitur disputationis nostrae haec est: quos scripserat Licinianus Sallustio aequalis ab urbe condita annales, ex eis Antoninorum aetate uirum mediocriter doctum suis admixtis adnotationibus ea excerpsisse quorum has nunc tenemus reliquias.

III. Restat ut de nominibus scriptoris quem Pertzius Gaium Granium Licinianum uocatum sibi persuasit, quid statuendum sit exponamus. de Liciniano constat: non item de relicuis nominibus. illud enim sexiens Pertzii in schedarum marginibus legerunt. 'Grani' quod pater f. VIIII r 'per XV fere dies sine ullo dubio legit' filius dispicere non potuit. prorsus dubium est praenomen cuius uestigia inuenit pater in eadem scheda 'a ductibus litterarum GAI haud multum diuersa, quae tamen distingui non poterant'; filius, qui in ea scheda in qua pater GAI legerat solum cognomen inuestigauit, f. IIII u in quo pater nihil tale oculis adsecutus erat, litteram C. nomini Liciniani praepositam testatur. At tamen praesto sunt quae patris de 'Granio' testimonium ut in dubitationem uocetur dissuadeant. Grani enim Liciniani mentio inicitur a Macrobio sat. I 16, 30 'apud Granium Licinianum libro secundo' et a Seruio in Verg. Aen. I 737 'Granius Licinianus coenae suae *', 'Liciniani' a Solino polyh. II 12. qui scriptores quae ex Liciniano adferunt, ex annalium libris petisse non uidentur. quae enim Solinus (fr. III) de Messapiae nomine tradit, etsi ab annalium argumento non prorsus sunt aliena, tamen ad quemuis alium librum eodem iure referri possunt. de nundinis (fr. I) annalium 'libro secundo' disputasse Licinianum, si quis eorum quae a Macrobio expromuntur rationem perspexerit, uix sibi persuadebit. de Seruii 'coenae suae *' (fr. II) hariolari nolumus. Sed certiores simul

et incertiores Censorini nos reddit testimonium (3, 2) 'Granium Flaccum' ad Caesarem de indigitamentis scripsisse. a quo disiungi nequit Granius Flaccus cuius a Paullo dig. L 16, 144 memoratur 'de iure Papiriano' liber; eodem auctore utitur Macrobius sat. I 18, 4 (fr. V). neque alium intellegere uidentur qui uno nomine Granium de rebus sacris testem proferunt Arnobius III 31. 38 VI 7 (fr. VIII – X) et Festus u. RICAE (fr. XI). Tenemus igitur Granium Flaccum Caesaris aequalem librorum de indigitamentis et de iure Papiriano scriptorem. quem eundem esse ac Licinianum contenderunt Carrio emend. I 4 (Gruteri lamp. III p. 97) et Orellius ad Arnob. III 31, negarunt Vossius op. IIII p. 261 et Haackhius in Paulyi encyclop. III p. 960. neque hi quidem sine aliqua probabilitatis specie. etenim apud eundem Macrobium, qui in scriptorum quorum testimoniis utitur nominibus adferendis semper sibi constat[1]), quasi diuersa nomina Grani Flacci et Grani Liciniani legimus. argumentum sane non leue: nisi ab altera parte grauiora essent parata. uide enim quam bene is quem paullo post Sallustium annales condidisse probauimus ad Caesarem pontificem maximum de indigitamentis librum scribere potuerit. uide quo tandem libro de nundinarum ratione (fr. I) aptius exposuerit Granius Licinianus, quam eis quos Granium Flaccum de rebus sacris scripsisse constat. denique quid obstat quo minus plenum scriptoris, utpote qui liberam rem publicam uiderit, nomen [*Gaium*] *Granium Flaccum Licinianum*[2]) fuisse coniciamus? quare Macrobium, si quidem duos sibi finxerit Granios, auctorum quibus utebatur discrepantia deceptum esse statuimus.

Pauca addenda sunt de reliquiarum quae ab aliis scriptoribus seruantur pristina sede. atque ex libro *de indigitamentis* (de quibus cf. Ambrosius de Rom. lib. sacris p. 3 et 61) excerpta uidentur praeter fragmentum IIII a Censorino seruatum ea quae legimus apud Arnobium l. l. fragmenta VIII – X et apud Macrobium sat. I 18, 4 fr. V. ad libros *de iure Papiriano* pertinent quae extant in dig. L 16, 144 (fr. VI) et apud Macrobium ex 'libro se-

---

1) unum enim Sextum Festum quod semel sat. III 8, 9 Iulium Festum appellat, inde probari nihil potest. 2) Graniae Liciniaeque gentis nomina coniuncta Q · LICINIVS GRANIANVS quoque testatur consul suffectus anni p. Chr. n. CVII apud Mommsenum I. N. 4496.

cundo' petita (fr. I): neque aliunde ducta uidentur quae Festus fr. XI tradit. prorsus incertae sedis sunt quae auctore 'Granio' Solinus polyh. II 40 (fr. VII) de cicadis ad Rhegium mutis narrat. Habes omnia quae Granio certo tribui possunt. scientes enim neglеximus quae emendato aut a uiris doctis aut e libris melioribus nomine ad Granium iam nullo modo referri possunt. quibus si quis gaudeat, ex bibliothecae tenebris P. P. Iusti promat obseruationes criticas (Viennae 1765. 4.), qui illa p. 30 sq. congessit. sed ne hic quidem omnia. adicere enim possis Diomedem p. 365, 16 K., Nonium p. 202, 20 M., Festum Pauli p. 369 u. VETERATORES. talia igitur nostro iure missa fecimus. illas uero quas post londinenses schedas conlocauimus Grani reliquias ad nominis prout a scriptoribus adfertur uarietatem disposuisse satius duximus.

Haec habuimus quae praefaremur libello nostro. quem etsi longe abesse a perfectionis laude scimus, tamen ne apud prudentes in uituperationem incurramus non ueremur. etenim quod ingenue profitemur, nullum aliud huius editionis fuit consilium nisi ut eis qui post nos doctiores paratioresque ad sanandum Granium accessuri essent, subsidium praesto esset paullo limatius atque politius editione principe.

Denique iucundissimo nobis fungendum est officio, ut gratiam publice testemur LVDOVICO BETHMANNO bibliothecae guelferbytanae praefecto liberalissimo qui gudiauum Solini codicem rogatus a nobis inspexit, GEORGIO THILONI qui e Gallia amicissime de Liciniani apud Seruium fragmento certiores nos fecit, ALFREDO FLECKEISENO qui qua propensa uoluntate haec studia fouet nostrae quoque opellae deesse noluit.

Scr. Bonnae kal. decembr. a. CIↃIↃCCCLVII

